

www.e-rara.ch

**Sancta Sanctorum Sancte Tractandi Sive Religiose Sacrificandi
Methodus**

Scoutville, Philippe

[Luzern], [1713]

Zentral- & Hochschulbibliothek Luzern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-98882>

Articulus sextus. Quaedam observationes circa ss. missae sacrificium.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Oratio ad JESUM Christum.

Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me. Passio Christi conforta me. O Bone JESU exaudi me: intra Vulnera tua absconde me: ne permittas me separari à Te: ab hoste maligno defende me: in hora mortis meæ voca me. & jube me venire ad Te; ut cum Sanctis tuis laudem Te in sæcula sæculorum. Amen.

ARTICULUS SEXTUS.

Quadam Observationes circa SS. Missæ Sacrificium. In gratiam potissimum RR. DD. Sacerdotum Ruralium.

§. I. *Circa Materiam.*

SACROS MYSTAS oportet esse religiosos ac penè scrupulosos circa materiam Eucharistiæ: ut videlicet adhibeant necessariam, mundam, sinceram: id est non permixtam alteri ineptæ.

Unum

Unum ex Rubricis hīc noto, ut quotidiano defectui in re tanti momenti occurrat. Ita habent tit. 10. De defectib. in Celebrat. Missar. §. 3. n. 3. Si panis *caeperit corrupti, sed non sit corruptus. . . conficitur Sacramentum; sed conficiens graviter peccat.*

Et §. 4- n. 2. Si vinum *caeperit acescere, vel corrupti, vel fuerit aliquantum acre. . . conficitur Sacramentum; sed conficiens graviter peccat.* Utrumque etiam docet S. Thom. p. 3. q. 74. art. 3. & 5.

§. 2. Circa Tempus.

PROhibitio nonnisi semel in die celebrandi tam rigidè recepta est in Ecclesia, ut Theologi omnes damnent peccati mortalis illum; qui absque legitima causa bis in die sacrificat. Cū sit valdè felix, inquit S. Pontifex Alexander 2. qui unam Missam dignè celebrare potest. Et addit: *Qui Verò pro pecuniis, aut adulationibus secularium unâ die præsumunt plures facere Missas, non estimo evadere damnatio-*

nationem. de Consecr. Distinct. I.
Sufficit.

Videant proinde quid sibi timendum ii, qui sine sufficienti causa, vel etiam falsis omninò fictisque titulis in sua, alienave Parochia binandi facultatem, etiam cum detrimento ac neglectu commissæ sibi Parochiæ, debitiq̃ue Parochianis officii divini; nec non Concionis, Catechizationis, &c. ab R. mis Ordinariis subripiunt.

§. 3. *Circa Paramenta ac Vestes.*

AD rem Sacram peragendam sunt necessaria: Ara, & Aram ipsam comitantia illa sex: Mappæ; Lumen; Pallium; Crux; Missale; Calix; & hujus appendices: Patena; Palla; Purificatorium; Corporale.

Item Vestes; Eæ sunt etiam sex: Humerale seu Amictus, Alba seu Tunica, Cingulum, Manipulus, Stola seu Orarium, ac denique Casula seu Planeta.

Sine

Sine aliqua harum vestium operari Sacris, per se loquendo peccatum mortale haberi communi DD. sententiâ, testatur Tannerus, *To. 4. disp. 5. q. 10. dub. 3.*

De Cingulo tamen quidam mitius sentiunt.

Amittunt sacræ vestes suam benedictionem, quando ita franguntur & lacerantur, ut non possint amplius adhiberi ad usum, ad quem erant benedictæ.

Si sacræ Vestes & Paramenta valde immunda, non mudentur culpa eorum, qui Sacristiæ præsumt, priusquam in, & cum iis sacrificetur, peccant isti mortaliter. *Gobat, alph. Sacrif. Cas. II. nu. 381.*

Quid ad hæc Sacrificans, qui cum munda habere facile possit, immundis utitur? Quid Pastor, qui perinde ac si nihil ad se ista attinerent, sintne vestes, cæterave paramenta munda, an immunda, nihil curat?

Noverint proinde Sacerdotes hac

in re notabiliter negligentes, se mortaliter peccare. *Taner. sup.*

Et quod nequidem proposito mortis periculo liceat cum Calice immundo; aut vestibus valdè fordidis (quales proh dolor! maximè Purificatoria & Corporalia, sæpe numero reperiuntur) celebrare. *Dian. p. 3. t. 6. R. 48.*

Non enim (ut ait Sanctus Hieronymus *Epistol. ad Theophil. Alexandr. cit. à Gavanto p. 5. de Nitor. & mundit Sacrae supell.*) inania ea sunt, & quæ quasi sensu carentia sanctimoniam non habere dicuntur; sed ex consortio Corporis & Sanguinis Domini, sublimi Majestate sunt veneranda.

Omittentem preces præscriptas, dum induuntur vestes sacrae, damnant peccati mortalis Doctores gravissimi: *Gavantus p. 2. t. 1. n. 2. cit. Navar.*

Si tamen citra contemptum id fecerit, excusat à mortali Tannerus, & alii.

Circa vestes id etiam observandum

L

dum

dum venit; quòd Sacerdos finito Sa-
cro, exiit se ordine retrogrado, quo
se induit; & quæ induendo osculatus
est, eadem etiam exuendo oscula-
tur in medio; scilicet Stolam, Mani-
pulum & Amictum. In quorum pro-
inde medio, ex veteri Ecclesiæ mo-
re, Crux apponenda, ad recolend-
dam Domini Passionem, *V. Gayant.*
p. 2. t. 1. & 12.

S. 4. Circa Ministrum.

DOctorum nemo non reum agit
gravis culpæ, per se loquendo;
Sacrificantem sine Ministro; qui nô-
rit & ministrare necessaria, & re-
spondere. *Tann. sup. dub. 6.*

Meminerint itaque Venerandi
DD. Sacerdotes, & ad conscientiæ
suæ securitatem, & ad debitam Sa-
cro-sanctis Mysteriis, quæ tractant,
reverentiam, omninò spectare; ut
Sacrificaturi (quoties per eos stat)
Ministros eligant eos, qui & mune-
ris sui periti sint: & vitam ejusmodi
agant,

agant, ut meritò præsumi possit, eos in statu gratiæ esse.

Hallucinantur enim verò graviter, si qui censeant, suâ apud Deum nihil interesse, seu peritum, seu imperitum; probum an improbum Ministrum nanciscantur: cùm enim teneantur habere aliquem, tenentur consequenter idoneum præferre inepto; quo etiam casu non tenentur, nec cogi possunt ad admittendum inidoneum sibi à quovis obtrusum. *Arg. cap. Accessorium de Reg. Juris in 6.*

Nec enim spectato jure communi; potest excusari à peccato mortali consuetudo passim in Pagis absque Ministro respondente celebrandi. *De Consecr. distinct. 1. Hoc quoque. Vid. Sylvestr. Verbo: Missa. l. q. 2. & Tann, supr.*

Esto, sumptibus publicis idoneus ali non possit. Quidni RR. DD. Parochi, eorúmve Sacellani possent etiam nullo sumptu, & exiguo labore, unum alterúmve puerum; aut

etiam ædituum, tametsi rusticum ad hoc instruere? quemadmodum à zelosis nonnullis Animarum Curatoribus & hætenus factum, & etiamnum fieri tam feliciter, quàm laudabiliter novimus.

§. 5. *Circa Confessionem Sacramentalem præmittendam Sacrificio.*

Obligatio Sacræ Synaxi Sacramentalem Confessionem præmittendi, quoties ad eam accessurus sese lethali noxâ gravatum sentit, ita rigidè præcepta est, ut licet quis ab Angelo esset edoctus, se per Contritionem perfectam à Deo obtinuisse veniam delictorum, haud tamen fas ei esset, per se loquendo, accumbere Mensæ Angelicæ. *Gob. supr. Cas. 14.*

n. 429.

Quia tamen Sacerdos etiam post mortale peccatum à se commissum, omnium iudicio, Missam facere potest eo casu, quo ratione officii e. g. Parochialis, diebus, festis ad eam tene-

hætur, nec tamen idonei Confessarii copiam habet, dummodo veram eliciat Contritionem; dolorem, inquam, de peccatis, idcirco præcipuè concipiat, quòd Deum summè bonum ac amabilem ob omnigenas, easque infinitas suas perfectiones, offenderit:

Et aliunde valdè timendum, ne non pauci Sacerdotes, ex iis maxime qui ruri commorantur, hanc a deò sanctè præceptam Exomologesim sat temerè omittant; non modò idcirco quòd nec possint ipsi Confessarium convenire: nec velint, cum etiam sine infamia possunt, ab illo conveniri; sed etiam cum adest idoneus Confessarius, nescio quibus excusis, sed frivolis, & sacrilegium minimè excusantibus; hinc subjectam doctrinam circa absentiam aut distantiam Confessarii velim ab iis benè notari.

Sacerdos commissi à se peccati mortalis conscius, urgente celebran-

di necessitate (nam sola sive devotio, sive commoditas non excusat) præmissâ verâ contritione, generatim loquendo, ab obligatione præmittendæ Sacrificio Confessionis Sacramentalis excusatur.

I. Si pro ea necesse illi foret conficere iter valdè molestū ob incommodam cæli tempestatem; ut si nix densa, pulviâve continua decidat.

II. Si ob infirmam valetudinem, corporisve vitium seu defectum, adire ipse Confessarium nisi valdè molestè & incommodè non possit. Peccabit tamen, si è vicinia unius e. g. horæ accersere commodè possit, & non accersit.

III. Ob distantiam etiam excusatur. Statuunt communiter DD. duas horas in itu, totidem in reditu saltem hyeme.

Sunt tamen qui minus, sunt qui plus requirant. Vide *Gob. supr. Cas. 14. Less. in M. S.*

Id absolutè dictum habeant ad A-
ram

ram facturi, toties censei adesse
Confessarium; adeoque se teneri ad
Confessionem Sacramentalem, quo-
ties commodè adiri idoneus potest.

Idoneus autem tunc censendus e-
rit Confessarius:

1. Si jurisdictionem habeat. 2. Si
scandali passivi in eo probabile peri-
culum non sit. Si, inquam, proba-
biliter præsumi possit illum ex audi-
tis in Confessione, aut in perversa
peccandi consuetudine non confir-
mandum: aut ad similia perpetranda
ansam & audaciam non sumptu-
rum. 3. Si violandi sigilli non im-
probabilis metus absit. Quem tamen
metum concipere temerè nemo de-
bet sine gravibus causis: Qualis esset,
v. g. magna & indiscreta loquacitas,
quæ rationis & discretionis, multo
magis si etiam naturalis secreti per-
fractis repagulis, quædam subinde
effutire, aut etiam subindicare no-
taretur; sive in æstu iræ, vel potu:
sive extra istas occasiones id fiat.

Qui autem in tali statu celebravit, tenetur ex Decreto Concilii Trident. sess. 13. cap. 7. quamprimum confiteri data copia Confessarii : idque ex præcepto, non verò solùm ex consilio, *Suar. de Sacram. Disp. 66. sect. 7.*

§. 6. Circa obligationem celebrandi:

Qui ratione Beneficii tenentur facere Sacrum, mortaliter delinquant contra Justitiam, si non faciant. Ita censent omnes teste Layman. *De sacrificio Missæ tr. 5. c. 3. assert. 4.*

Idem dicendum de eo, qui ratione stipendii accepti ad celebrandum tenetur. *Gob. supr. Cas. 16. n. 486.*

Quoties populo incumbit obligatio Sacri audiendi, incumbit & Parocho faciendi. *Gob. ibid num. 492.*

Et quidem loco & tempore consueto. Vel (casu quo alterutrum foret mutandum legitimis de causis; quales non sunt: Venatio, piscatio: excursio recreationis gratiâ ad amicos, dedicationes, nundinas, &c.)

popu-

populo tempestivè præmonito.

Sacra Congreg. Cardinal. Concil. Trident. Interpretum, omne damnable lucrum ab Ecclesia remove-re volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam celebrandam suscepit cum certa eleëmofyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleëmofynæ sibi retentâ, celebrandam committat; sed absolutè tenetur integram eleëmofynam celebranti Sacerdoti tribuere.

Ejusdem Congreg. Decreto cave-tur, ut tot Missæ celebrentur, quot ad rationem tributæ eleëmofynæ ab offerente eam, præscriptæ seu postulatae fuerunt.

Administratores Ecclesiæ in qua frequens ex devotione populi concursus, si missis stipendio oblati non possint nisi post longum tempus satisfacere, non possunt pro iisdem Missis celebrandis eleëmofynas accipere; Nequidem hoc titulo, quòd aliàs cultus Ecclesiæ, Fideliumque

devotio ac concursus timeretur inde minuendus.

Ita eadem SS. Congregatio. Quæ modicum tempus præscribit, intra quod admissa Sacrificia offerenda. Quod tametsi probati Doctores extendant ad 50. imò 60. dies; tamen in hac patria, ubi tanta copia Sacerdotum, & quibus sat angusta domus, vix notam & pœnam avaritiæ & immisericordiæ evaderent tales Administratores, qui tot Sacris sese onerarent: maximè cum, & ubi novæ identidem soleant sibi succedere pro celebrando eleëmofynæ in similibus locis.

Cæterùm, quisquis diu absque sufficienti causâ differt persolutionem Sacrorum ex justitia debitorum, lethalem culpam incurrit. *Geb. sup. Cas. 17. n. 596.*

§. 7. Circa stipendium.

Charitas in proximum egentem, & periculum scandali sæpè mitigat.

tigare debet rigorem, justitiæ in exigendo etiam justo stipendio. Væ igitur Parochis, qui nequidem funebre Sacrum facere volunt pro defunctis, nisi egentissimæ viduæ vel proles dent, etiam subinde plusquam habeant. *Iudicium enim sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiam.* Jac. 2.

Est autem justum Missæ stipendium, quod vel Episcopali lege statutum: vel quod à prudentibus & Deum timentibus dari ac peti solet. *Suar. Tanner.* Salva tamen Testatoris seu Fundatoris, alteriúsve, qui stipendium, dedit, voluntate; de qua infra hoc §. & §. seq. & sup. §. 6.

Qui stipendium accepit ad faciendum Sacrum in certo Altari, peccat mortaliter, si alibi sacrificet; nisi iusta aliqua causa excuset. Ita Navar Bonac. & alii gravissimi Auctores.

Non est autem iusta causa, voluntas aut permissio hæredum; nec enim habent illi jus mutandi voluntatem ultimam Testatoris, quæ om-

nibus modis fervari debet. *c. ultima.*
3. q. 2.

Obligatus ratione fundationis, Sacrum quotidie, vel aliquoties in hebdomada celebrare, si non ex ægritudine, sed aliâ causâ voluntaria quantumvis honesta omisit, tenetur compensare. Nisi dispensaverit Episcopus.

Sacellanus obligatus bis vel ter in hebdomade celebrare, si soleat illic adesse alius obligatus ad sacrificandum diebus festis; potest sua Sacra facere diebus prophanis. Si autem non soleat adesse alius, tenebitur Capellanus honorare festos dies suo Sacro; ita enim videtur Fundator voluisse. *Cop. ibid. Cas. 18. n. 586.*

Ut Beneficiati suæ, suorumve Successorum conscientia consulant, consultum esset ut numerum Sacrorum ex antiquo debitorum non supote nutu minuant, sed os Domini interrogent: ad Superiores inquam, recurrant, si stipendium justo minus videatur. Ad

Ad restitutionem tenetur, qui accipit stipendium pro impetranda sanitate; decedatque è vivis, qui aegrotabat, antequam segnis ille Sacerdos suæ obligationi satisfaciat, Gob. *ibid.*, n. 566.

§. 8. *Circa Qualitatem Sacri.*

NOtent Sacerdotes, quid scribat Navarus *Manual.* c. 25, cit. à Gob. *ibid.* Cas. 21, n. 716. Peccat mortaliter qui non tot, & tales missas dicit, quot & quales, & quo loco tenetur absque justo impedimento.

Circa Intentionem videant dicta, *Art.* 2. §. 2.

In gratiam tamen piarum Animarum in carcere Purgatorio detentatum, addo.

Licet valor essentialis & primarius Sacrificiî, sit idem in quacunque Missa; secundarius tamen non est idem, sed varius, pro varietate Orationum ab Ecclesia ad peculiarem finem institutarum. Hinc faten-

tur omnes, illas preces piaculares; quæ in Missis Defunctorum notantur, ex institutione Ecclesiæ habere majorem efficaciam in ordine ad sublevandas animas purgantes, quàm habeant aliæ. Quare videat Sacerdos pro Defunctis celebrare obligatus, ne aliud Sacrum quàm de Requiem faciat, quantum quidem Rubricæ patiuntur.

§. 9. *Circa Cærimonias.*

Contra Rubricas delinqui potest sex modis: addendo; demendo; transponendo; interrumpendo; corrumpendo verba in principio, medio, fine: & denique substituendo verba Synonima.

Cùm autem hi modi ascendere possint ad valdè gravem deformitatem, fit ut transgressio seu neglectus Rubricarum & Cærimoniarum sit ex suo genere peccatum mortale.

Suar. disp. 84. Sect. 2.

Sunt qui mortalis damnent omnem
nem

nem illum, qui tam multas Cærimonias negligit, ut morali hominum iudicio censeatur observare ritum alium, quàm sit in Missali præscriptus. *Bauny, tr. 10. & alii.*

Hoc extra dubium, quoties in Rubricis habetur vox hæc: *gravissimè*, seu *graviter peccat*: significari peccatum mortale. Quare Rubricas suas diligenter consulat Sacerdos; in primis Neo-Mystra.

Qui prævidet se non posse Sacrum facere nisi omissis aliquot Cærimoniis, debet perpendere gravitatem tum Rubricarum omittendarum; tum causæ ad sacrificandum impellentis: & ex harum comparatione statuere quid sit consultius, an sacrificare, an non sacrificare? *Suar. supr.*

Verba verbis in Missali præscriptis addere non licet: faciliusque mortaliter peccatur addendo, quam omittendo. In Canone autem facillimè peccatur mortiferè, per mutationem verborum.

Canon

Canon verò, major videlicet, secundum communem sententiam incipit à: *Qui pridie*. Olim quidem desinebat ad: *Pater noster* exclusivè; nunc autem ad consumptionem Sacramenti. Quamquam etiamnum dicant aliqui eum finiri ad Orationem Dominicam.

Postremò, inquit Trident. Sess. 22. decret. de observand. & evitand. in Celebr. Missæ; *Ne superstitioni aliquis locus detur, edicto & pœnis propositis caveant (Ordinarii locorum Episcopi) ut Sacerdotes, ritus alios, aut alias Cerimonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probata ac frequenti ac laudabili usu recepta fuerunt.* Vid. etiam Bullam Pii V. præfixam Missali.

Ad ea, quæ hoc §. notavimus, animus reflectant illi nominatim.

I. Qui dum Sacro sanctam Hostiam elevant, eam in omnem partem bisterve versant. Quo quidem assistentium oculos animosque graviter offendunt.

II. Qui ad : *Domine non sum dignus* : ita toto corpore à medio Altaris recedunt, ut & dimidiam faciem ad populum convertant : & totam S. Hostiam eidem aspectabilem, non sine offensione circumstantium, exhibeant.

Rubricæ de Ritu servando in *Celebr. Missæ*, tit. 10. n. 4. ita habent : *Sinistrâ manu tenens partes (Hostiæ) super Patenam inter pectus & Calicem, parùm inclinatus, dextrâ tribus vicibus percutit pectus suum; moderatè scilicet ac suaviter. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus. Joël 2.*

III. Qui ad Elevationem, & post Sacramenti sumptionem, non modò speciales vocales preces fundunt; sed, insuper tam altè, ut etiam à circumstantibus distinctè audiri possint.

§. 10. *Circa Horas.*

Gravissimi Authores mortalis Greos agunt Sacerdotes illos, qui Matutini recitationem Sacrificio non

non præmittunt. Licèt autem contraria probabilis sit, & in praxi tuta; qui tamen sine rationabili causa hanc postpositionem faceret, non videtur ab omni culpa excusandus.

Certè Pius V. hanc postpositionem inter defectus graviores collocat *tit. 10. Rubricar n. 1.* Casus autem ibidem enumeratos communi Doctorum sententiâ, ita graves censerè affirmat Gavantus. *P. 2. tit. 1.* ut sine peccato mortali non accidant ex genere suo.

§. II. *Circa Genu-flexiones*

DEvotionem Sacrificantis restantur ac fovent; Adstantium etiam excitant, Genu-flexiones Sacerdotis ad Aram facientis.

Circa has proinde, præter ea, quæ suprâ de iis notata sunt, subji-
cio sequentes regulas servandas,
dum expositum est V. S. Quas partim præscribit Missale, & Cærimoniale Romana; partim varia ex Urbe responsa: & usus ipse observantiorum confirmat.

Sacerdos ascendens ad Altare in quo V. S. expositum, flectit in plano, vel in imo gradu utrumque genu, & aperto capite; uti & quando recedit absolutâ Missâ.

Idem faciat, qui transit ante V. S. facturus ad minora Altaria, eundo & redeundo.

Celebrans item flectat, quoties transit ante V. S. e. g. incensando, &c.

Et quoties accedit ad medium Altare, vel à medio recedit, sive ad cornu Evangelii, sive Epistolæ.

Quotiescumque se vertit ad populum, flectat; ante & post *Dominus vobiscum*; ante & post *Offertorium*; *Orate fratres*; *Ita Missa est*; vel finalem Benedictionem, si illâ datâ redeat ad medium Altaris.

Si sub Sacrum consecratæ fuerint Hostiæ eæque post Consecrationem maneat super Altare, servanda etiam tunc circa Genu-flexiones illa, quæ proximè observanda proposuimus,

§: 12. *Quedam aliæ Observationes
Universales.*

Sunt, ut observat Emmanuel Sa-
Verbo *Missæ*, n. 50. qui scribunt
Missam esse legendam cum A. B. C.
D. id est: Altè, Breviter, Clarè, De-
votè. Gavantus, *P. 3 tit. 11.* addit lit-
teram quintam, E. id est: Exactè.

ALTE: Eo faltem vocis tono, ut
re- ipsum audias: & (quod monent
Rubricæ General. Missalis) qui à cir-
cumstantibus audiri possit; id enim
cùm tuæ, tum eorum excitandæ pie-
tati convenientius. Vid, Art. 3, §. 5.
Quartum.

Quibus adde, quoad elationem
vocis, primas ei deberi, qui in Ara
principe celebrat; nisi eodem tem-
pore primarium officium, adeoque
& Sacrum in Ara secundaria fiat.

Circa pronunciationem Formæ
Sacramentalis, sacrificans observet
quod habetur in Rubricis de ritu ce-
lebrandi Missam sub titulo de Cano-
ne: Ita præcisè loquuntur, nu. 5. *Distin-*
ctes

de, reverenter, & secretò profert verba Consecrationis Et nu. 7. Profert attentè, contínuatè, & secretò, ut suprà, verba Consecrationis.

Proinde sicut peccato Sacerdotem obstringunt Doctores ad efferendum altà voce, quæ Rubricæ ita efferenda præscribunt; ita formam Sacramentalem, si adeò sublatà voce proferre soleat, ut ad 6. vel 8. passus exaudiri possit, graviter venialiter delinquere volunt; mortaliter etiam, si ad 40. *Gob. Alph. cit.*

BREVITER: At non festinanter, perinde ac si vel esset à tergo, qui icuticâ urgeret, vel præmiò certandum foret de Sacro venatorio intra horæ quadrantem absolvendo.

Memor esto ô Sacerdos Dei Altissimi! illius à Romanis usitati moniti: *Adoraturi sedeant*; graviter gravissimi momenti negotia tractanda. Ne cursim ergo deproperent.

Nec Cruces instar histrionum, aut pugilum efforment,

Vitio

Vitio meritò vertitur Sacrificanti tantâ celeritate, ut ministrum cum decoro respondentem indecenter ipse prævertat.

Si enim Minister ob nimiam celeritatem non absque Sacerdotis injuria, & piorum adstantium offenculo, à culpa, fortè etiam lethali, excusari non potest; multò minùs eâ carebunt Sacerdotes, qui cùm tractim, clarè, ac distinctè verba proferendo, Ministro ad distinctè itidem respondendum adjumento esse deberent & exemplo; contra synopandi, ac devorandi, præcipitandi ac trajiciendi ansam eidem præbent. *Gob. ibid. Cas. 12. n. 403.*

Sed nec ita lentè, morosè ac prolixè, ut ex tanta prolixitate oriantur in præsentibus scandala, ob murmuraciones, stomachationes.?

At, inquires, quantum ergo temporis tribuendum?

Tantum necessariò dandum Augustissimo huic Sacrificio, quantum
neces-

necessarium est ad ritè ac devotè omnia peragenda. Dimidia circiter hora sicut sufficit, sic & omninò requiritur, ut omnia in communibus Missis servato decoro ac devotione debita perficiantur.

Regulæ Sacerdotum Societatis JESU ita habent: *Semi-horam in faciendo Sacro nec multum excedat; nec ita brevis sit, ut illam non expleat.* Reg. Sacerd. 4.

Nec facilè quis mihi persuaserit, se Sacrificio intra horæ quadrantem arctato, aut debitæ erga Divinitatem reverentiæ, aut erga circumstantes ædificationi, aut Rubricis, suæve conscientiæ satisfacere. Quin potius id præsumere licet intra tantas angustias pro tam vasto Mysterio multas imperfectiones, imò & culpas, secluso pietatis sensu, includi.

Si scandalum times; scito, non ex infirmitate, sed ex malitia illud oriri; adeoque non datum, sed acceptum: proinde cum Salvatore Matt. 11. *Sinite illos, ceci sunt, Nisi enim*

cæcutirent, nec scandalizarentur; nec tantis Mysteriis tam insignem injuriam irrogarent: nedum ab ipso Sacrificante irrogatam vellent; dum sub illud tempus, quo Sanctissimus esse jubetur Sacerdos, ut eorum voluptati obsequatur, improbissimus subinde esse cogitur.

CLARE: Ita Missam legendo, ut distinctè pronunciet omnia illa, quæ pronuncianda sunt; nec verba ulla, syllabæve ulla omittat, devoret, &c.

DEVOTE: Devotioni satisfaciet Sacer Mysta, si cum eo fervore, earumque virtutum ac internorum actuum, ac considerationum, quæ suprâ deduximus, comitatu sacrificet.

Ad hanc devotionem spectat etiam attentio, quam & nos initio commendavimus: & præsentem semper habebimus, si affectibus, quorum ideam suprâ Art. 4. proposuimus, assueverimus.

Nota tamen generatim, ex *S. Tho. 2.*

2. q. 83. a. 13. in Corp. Quod sicut ad honestatem orationis in genere sufficit attentio vel ad verba; vel ad horum sensum; vel ad rem quæ petitur: ita etiam ad honestatem specialium precum, quæ in Sacrificio funduntur, cæterorumque verborum, quæ ibidem efferuntur.

Quin autem peccent ratione tum scandali tum irreverentiæ, ii, qui dum se ad populum vertunt, oculis perlustrant totum Templum, nemini veniat in mentem dubitare.

Certè si unquam alibi, tum hîc vel maximè Sacerdotem foedus cum oculis suis pacisci decet, ne dum Mysteria vitæ tractat, per has oculorum fenestras malè custoditas mors intret, non in ipsius modò, sed etiam in circumstantium animas.

Quare sæpè monent Rubricæ ut demissis in terram oculis ad populum sese vertat sacrificans Sacerdos.

PRO Coronide unum illud addo ad acuendam omnium eorum, quibus singulari Dei beneficio datum est introire in Sancta Sanctorum, sollicitam industriam, ut hanc Methodum lubentibus animis admittant, & quoad unicuique licebit, in praxim etiam deducant; estque illud: Quemadmodum, si quis ex ignorantia, vel perturbatione in Missa aliquem etiam gravem errorem committit, procedens tamen cum bona fide; non imputatur ei ad mortalem culpam, videlicet ob defectum sufficientis libertatis; si tamen ignorantia sit habitualis, tenetur sub mortali dare operam, ut eam emendet: ita, & multò magis, si cui hæc **METHODUS SANCTA SANCTORUM SANCTE TRACTANDI** in manus fortè devenerit; eam autem ipse sive ex capitis infirmitate, sive ex asceticæ exercitationis defectu, aut alia quavis tolerabili

li causa, nec in totum, nec (quod tamen mihi vix fit credibile) ex parte, ingenio assequi, nedum praxi servare possit, is nullam prorsus vel minimi piaculi conscientiam idcirco sibi faciat.

Verum si possis, saltem cum aliquo non nimio nec molesto labore aut studio ejus intelligentiam mente, ac praxim reipsa assequi, nec tamen velis; nolim equidem ulli te culpæ coram Sacro Tribunali obnoxium pronunciare; nec enim præceptum Domini habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, cujus & ego Sacerdos indignus personam interris sustineo, & Conservus vester sum: Non possum tamen quin te accusem de delicto, quale & inter amantes intercurrere nonnunquam solet, dum alter alteri in re cæteroqui honesta ac facili, tamen aut negligentia, aut laboris alicujus fugâ gratificari cum possit, omittit,

Quidquid igitur præstiteris, id adscriptum feremus tuo in Dominum JESUM amori Qui amore amoris tui se tibi Nascens dedit in socium: Convalescens in edulium: Et moriens in pretium: Et regnans in perpetuum hîc in terris holocaustum: donec subinde se totum in coelis det in præmium.

Quidquid omiseris, omnium Judicium calculo (ubi tamen jure vel lege nihil statutum) absolvêris: præterquàm si pro Tribunali sedeat Amor, cujus amore hanc Methodum primò privatis scriptis mandavimus, ac tandem illius tuique charitate etiam publicis typis commissimus.

Ratio autem hanc Methodum, & quæ in ea proposita sunt, non modò in praxim deducendi; sed reddendi etiam facilem, familiarem, & in usubrevem, nullo cujusquam fastidio, hæc erit.

I. Si Sacerdos sibi persuadeat (uti pro-

proximè monuimus) consilia hæc esse, non præcepta. Proinde ob cuiuspiam hîc præscripti omissionem, nullam omnino admittat anxietatem.

II. Si hanc Methodum totam semel atque iterum, imò sepiùs legendo percurrat: primùm non ita morosè; tum morosius, ac meditati similis,

III Demum ubi animo omnia lentè imbiberit, incipiat non universa simul & semel, quæ sub ipsum Sacrificium suadentur virtutum, piorumque actuum exercitia; sed singula priùs ante Sacrum sensim prælecta in praxim per hebdomadam, vel etiam mensem integrum deducere: non quidem anxie eorum memoriam ad Aram deferendo, quasi grande foret scelus illorum ommissio, sed simplici internoque mentis actu eorum species, cum opus fuerit, sibi subiiciendo; & subjectis, prout & in quantum sponte occurrerint, suaviter & amanter assentiendo

Occurrent autem facillimè, si pijs istis affectionibus animum imbutus nullo vel mentis vel corporis indiscreto molimine ad Sacro-sanctum Altare progrediatur, seque Deo, Angelis & hominibus jucundissimum sistat spectaculum.

Huic viæ constantè insistendo, id paulatim consequetur, ut omnia nullo negotio, suæve aut aliorum incommodo, mente & praxi teneat: actus etiam virtutum Sacrificio infertos ita facilè & promptè exercere assuescat: summo animi sui solatio, & proximi fructu, ut censuram illorum, qui intra limites dimidiatæ horæ S. Missam conclusam omninò volunt, minimè sit incursum.

Tum illud insuper assequetur, ut eorum gravissimorum Authorum iudicio, ac doctrinæ faciat satis; qui prorsus volunt actualem attentionem ad ea verba, & facta, quæ inter sacrificandū necessario occurrunt; siquidem illa; si attente pronunciantur

cientur : & hæc, si seriò exerceantur, ansam & materiam hîc observatis, similibusve affectibus & actibus præbebunt, qui ultrò & seipsis citra omnem celebrantis conatum ei obviam, ut ita dicam, venient : Eritque satis ad majus tum Sacrificii ornamentum, cum ad Sacrificantis meritum ; Dei etiam Angelorumque gaudium, efficaciusque, eorum inprimis, pro quibus offertur, subsidium, si Sacerdos eos gratos habeat & admittat.

Necest quod timidus nimium Sacer Mysta vereatur ne Theologorum placitis contraveniat, quasi circumstantibus morosus (cui quidem periculo jam aliquoties suprâ prævertimus) aut aliquid à mente Ecclesiæ alienum sub sacrum, immiscens : nam præterquam quòd Viri doctissimi juxta ac sanctissimi vitæ asceticæ Magistri, suis exemplis non minùs quam verbis ac scriptis hanc Sacrum tam faciendi, quam audiendi

cum variorum piorum affectuum & actuum exercitio nos docuerunt; ipsi etiam Theologi, qui ad apicem scholasticum omnia expendunt, quin imò & Rubricæ quasdam sub ipsum Sacrificium morulas non gravatè concedunt, quibus (liceat mihi sic loqui) Celebrans mysticè respiret, his & similibus piis animi motibus, mentisq̃ue operationibus tantisper indulgendo, quæ ab ipsius Sacrificii essentiali scopo adeò non aberrant, aut avocant; ut etiam cum eo, & cæteris particularibus Mysteriorum sub illud ex Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum instituto repræsentatis, quam maximè conveniant,

R I N I S.







